



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Philippi Servii E Societate Iesv Amicus Fidelis Vsque Ad  
Mortem: Sive Modvs Ivvandi Moribvndos, Ægris, Sanisqve  
Perinde Vtilis**

**Servius, Philippe**

**Leodii, 1648**

Ad Lectorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60032)



## AD LECTOREM.

**V**Ix dum biennium est, Amice Lector, cum Artem bene moriendi, non tam nostris, quam Sanctorum Patrum regulis præceptionibusque definitam vernaculo idiomate vulgauimus; cui cum modum animandi ægros ad mortem piè obeundam, tamquam appendicem addidissemus, iudicarunt nonnulli appendicem illam & seorsum, & Latinè imprimendam esse; cum vt decisa Libelli modica ea portio portaretur faciliùs, tum vt Latini sermonis privilegio utilitas eius latiùs emanaret. Ægrè adduci potui vt descriptionis characterem immutarem: non quod Latini sermonis maiestatem amplitudinemque nesciam, sed quod eius argumenti Libellos Latinè scriptos videam plurimos; è quibus tamquam è fontibus (fatebor enim) hausi non illiberaliter quod sitientibus concha patria propinarè. Ne tamen pluri ego meum, quam amicorum iudicium facere videar, morem  
eis



AD LECTOREM.

eis gero, & quidem haud paullo, quàm rogatus eram, prolixius. Addidi enim ad calcem, Casuum quorundam qui Confessarios subinde perplexos habent, Resolutiones moribundis fauentiores, è doctis probatisque Auctoribus mutuatas.

Non decreui Gallico meo ita adhære, vt verbum de verbo Latinè expressum efferam; cur enim me ipse vinculis meis obligem? seram, vbi serendum; euellam, vbi euellendum iudicauero: Quod si me ideò quispiam ad Prætorem ex iure manu confertum vocet, in promptu diribitio est: fundum meum excolo.

Hoc etiam admoneo, Tractatum hunc non tantùm moribundis, sed & eorum adiutoribus, atque adeò alijs benè firmis profuturum: illis, quia iuxta Apostoli mentem, qui alium docet, seipsum docet maximè; his, quia consultissimum est extremo illi agoni diu ante proludere, quodque tunc agrè & minùs perfectè ob animi corporisque affectas vires, præstatur, perfectiùs modò diligentiusque præstare; defectus olim committendos, quasi supplendo, ac resarciendo.

LIBRI